

habitu elegantissimo hac vice differendum erit. Et quidem, quia usitatum est & solenne, ut, exposituri naturam rei alicujus, nominalem ejusdem (ut vulgò loquuntur) definitionem ante omnia aggrediantur, & eâ, qua possunt, diligentia scrutentur & enarrent, nos etiam, ne deesse forsitan alicujus expectationi videamur, eodem incedemus ordine, & primò omnium de coeli nominibus, & reliquis huc spectantibus recensendis erimus solliciti, idque partim ut naturam coeli intellectu faciliorem reddamus, partim etiam, ut ansam multis arduis difficultatibus elabendi suppeditemus. Sicut autem in tota coeli essentia exponenda, ita hic præcipue brevitati litabimus. Sit igitur DEO benedicente

## SECTIO I.

## NOMEN ET NATURAM COELI

*explicans.*

## §. 1.

*Etymologia.*

**V**Ocem coelum quod attinet, hanc alii à verbo *cælare* seu insculpere deducunt, & dici volunt ætheream astrorum sedem coelum ideo, quod sit quasi ornamentum quoddam sideribus coelatum seu insculptum: alii autem *ἄνωθεν* i. e. à *concauitate* originem traxisse ferunt.

§. 2. Utraque sententia probabiles habet rationes,

tiones,